

SSmi. in qualibet dominica intra limites parochiae absque licentia parochi quotannis obtinenda? S. C. resp.: Affirmative de licentia Episcopi. n. 3928 ad 5 die 13. Maji 1719.

Ad dubium: An liceat Capellano Confrat. SS. Trinitatis Clastidii in Dominica infra octavam SS. Corp. Chr. processionaliter deferre SSmum. et in Dom. IV. cujuslibet mensis, necnon in festivitibus SS. Trinitatis et s. Sebastiani illud exponere et cum eo benedicere populum independenter a parocho? S. C. resp.: Negative. n. 4012 ad 10 die 13. Sept. 1732.

Capellanus Confraternitatis SS. Trinitatis Clastidii, indutus superpelliceo potest associare confratres tam in processionibus, quae fieri solent qualibet fer. VI. pro visitatione SSmi. in parochiali Ecclesia expositi, tam in iis fieri solitis quolibet Sabb. pro lucrandis indulgentiis necnon processione diei secundae Paschatis Resurrectionis. n. 4012 ad 11 die 13. Sept. 1732.

b) Locus.

Vd.: *Laici* (aute Clerum etc.); *Instructio Clem.* §. XX. n. 10. 16. 17. §. XXII. 1—9.)

Clerum semper debere quibuscunque Laicorum Confraternitatibus praecedere et si quid in contrarium servetur, abusum et non consuetudinem esse. n. 227 ad 6 die 10. Jan. 1604.

Servandum esse Caeremoniale, ut nempe in Processionibus ante Regulares incendant Confraternitates Laicorum. n. 603 die 7. Aug. 1621.

Laicos non esse interessendos cum Clericis in processionibus. n. 620 ad 2 die 4. Apr. 1626.

Praecedentiam deberi Novitiis supra Laicos juxta jus commune et constitutiones. Et ita ubique et in toto Ordine (Orbe?) servandum esse. n. 1937 die 28. Sept. 1658.

Ad dubium: 1. An liceat confr. V.

Societatis SSmi. Terrae Montis Novi incedere cum intortitiis post clerum hinc inde et ante baldachinum in Solemnitate Corp. Chr., sive potius teneantur incedere a latere ejusdem baldachini? 2. An idipsum liceat in processione, quae fieri solet fer. VI. hebdom. maj. cum statua Salvatoris, seu potius teneantur etiam incedere a latere statuae? S. C. resp.: Ad 1: Negative ad primam, affirmative ad secundam partem; ad 2: Provisum in primo et amplius. n. 4045 ad 1 et 2 die 5. Maji 1736.

Praecedentia tam in incessu quam in Ecclesia occasione s. processionum debetur Confratribus Ven. Societatis SSmi. gestantibus intortitia accensa et non famulis Magistratus similia intortitia deferentibus. n. 4147 die 31. Aug. 1743.

c) Obligatio.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXII. n. 1—9.

8) Sepultura.

Vd.: *Sepult.* (In Eccles. etc.)

9) Est sub Parocho.

Vd.: *Parochus. Oratorium. Anniversar. in Oratoriis. Sepultura* (a parocho faciend.)

Non licere supra januam Ecclesiae invito parocho in publico exponere Protectorem Confraternitatis, sed ponatur supra Capellam Confraternitatis intus Ecclesiam. n. 787 die 9. Decb. 1628.

Capellanus alicujus Confraternitatis sitae in aliqua Ecclesia parochiali non potest ad libitum absque interventu seu consensu Parochi proprii facere processiones sibi benevisas per limites Parochiae. n. 860 die 8. Junii 1630.

Non licere . . . Confraternitatibus laicorum facere processiones extra pro-

prias Ecclesias, nisi cum licentia et consensu Parochi. n. 873 die 24. Aug. 1630; n. 1122 die 5. Febr. 1639.

Capellanus Confratrum SSmi. Rosarii Catacen. pro concinendis missis, sepeliendis defunctorum cadaveribus et confessionibus audiendis cumulative a Vicario et a digniori Curato, intra cujus Parochiae limites sita est Ecclesia seu publicum Oratorium Archiconfraternitatis, tenetur licentiam petere. n. 1784. die 18. Mart. 1656.

Sine expressa licentia Episcopi non licet Confratribus Oratoriorum publicorum terrae Pantremolis exponere SS. Sacramentum, peragere Divina solemnioribus anni diebus, nec non audiendi confessiones et populum sacra communione reficere in eorum publicis Oratoriis. n. 1808 die 10. Junii 1656.

Capellanus Confraternitatis s. Jacobi non potest in Oratorio suo benedicere palmas, comestibilia etc., nisi quid relevans in contrarium habeat. n. 2062 die 12. Junii 1660.

Confraternitates non posse in suis Ecclesiis per suos Capellanos facere ea, quae ad solum parochum spectant, absque expressa licentia Ordinarii et parochi; ideo . . . in iisdem Oratoriis prohibetur celebratio missarum solemnium de Requiem, Anniversariorum Confratrum def. pro legatis piis, benedictio candelarum etc. n. 2330 die 20. Junii 1665. n. 2334 ad 2 die 31. Julii 1665.

Jus faciendi functiones fieri solitas per Confraternitatem SS. Rosarii erectam in Oratorio sito intra limites parochiae s. Philippi Nerei, et erecto de licentia Ordinarii sive praesudicio ipsius parochi, spectare ad Parochum, non autem ad Patres ejusdem Oratorii. n. 2466 die 16. Febr. 1669.

Confraternitates Laicorum legitime erectae in Ecclesiis paroch. in Capellis, Oratoriis tam publicis quam pri-

vatis adnexis parochialibus Ecclesiis habent dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non parochialibus. n. 3670 ad 1 et 2 die 12. Jan. 1704.

10) Non est sub Parocho.

Confraternitates Laicorum erectae in Oratoriis tam publicis quam privatis *sejunctis* ab Ecclesiis parochial. non habent dependentiam a parocho quoad functiones non parochiales. n. 3670 ad 4 die 12. Jan. 1704.

Per Capellanos seu alios Sacerdotes a confratribus invitatos in Oratorio Confraternitatis s. Mariae Confalonis peragi valent omnes functiones ecclesiasticae non parochiales, independenter a parocho, quoad vero benedictionem cum Venerabili — arbitrio Episcopi. n. 3850 ad 4 die 11. Februarii 1713.

CONGREGATIO LATERANENSIS.

Moniales poenitentis Ordinis S. Augustini Monasterii S. Augustini, Monasterii S. Mariae Magdalenae civitatis Vicentiae, obtenta facultate alias recitandi Officia Sanctorum Ordinis, ignorant: an concessis Officiis praedictis Sanctorum Ordinis S. Augustini intelligantur etiam concessa Officia Congregationi Lateranensi, humillime S. R. C. supplicaverunt declarari: An Sancti Congregationis Lateranensis sub Religione Augustiniana comprehendantur?

Et S. R. C. respondit: „Negative“. Et ita declaravit. n. 3568 die 19. Junii 1700.

CONOPAEUM.

(Tabernaculi.)

Vd.: *Altare* (ornatus).

Ad dubium: Utrum Tabernaculum, in quo reconditur SSimum Sacramentum, Conopaeo cooperiri debeat, ut fert rituale? et quatenus affirmative: 2. Utrum Conopaeum istud confici possit ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannaba contexto? 3. Cujusnam coloris esse debeat? aliis opinantibus ut Baruffaldus, Conopaeum debere esse coloris albi, utpote convenientis SSimo Sacramento, aliis autem, ut Gavantus, ejusdem coloris, cujus sunt pallium Altaris et caetera paramenta pro temporis festique ratione, praeter colorem nigrum, qui mutatur in colore violaceo in exequiis defunctorum.

S. eadem C. . . respondendum censuit: „Quoad primam quaestionem affirmative; quoad secundam pariter affirmative; quoad tertiam, utramque sententiam posse in praxim deduci, maxime vero sententiam Gavanti, quae pro se habet usum Ecclesiarum Urbis.“

Atque ita rescipit. n. 5221 ad 12. die 21. Julii 1855.

S. CONRADUS.

Lectiones 2. n. propriae s. Conradi approbantur pro Dioecesi Placentina. S. R. C. 24. Oct. 1609. Et extenduntur pro Dioecesi Syracusana et in districtu et civitate Netina. S. R. C. 20. Maji 1614. Conceditur idem Officium etiam Ordini Min. S. Francisci et PP. Cappucinis. S. R. C. 2. Aug. 1625.

CONSECRATIO.

1) Altaris execrati.

Vd.: *Altare* (reconciliatio); *Reconciliatio Eccles.* (decr. n. 4577).

Demissa nimis facies Arae maximae Cathedralis Ecclesiae Senogallien. in

altiolem formam reducta nuper cum fuerit, superiorem lapidem Altaris ejusdem mensam efformantem a suo stipite amoveri necessario oportuit; constat autem Altare illud ad modum fixi fuisse consecratum cum sigillis atque unctionibus mensam inter et stipitem; hinc diversa Canonorum studia quoad necessitatem illud iterum consecrandi. Eapropter a S. R. C. petitum responderi: Utrum, amota mensa ab Altari ad modum fixi et non portatilis consecrati, necessario nova indigeat consecratione?

Et S. eadem C. infrascripto ejusdem Secretario referente in Casu, de quo agitur, Altare denuo consecrandum esse decrevit. n. 4562 die 15. Maji 1819.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM.

Consecratio tam Arae stabilis, quam Arae Viatoriae seu portatilis, quoad essentialia preces, ritus, solemnitates eadem omnino est; in eo tamen differt, quod Altare portatile, seu lapis, in cujus medio Sacrae Reliquiae reconduntur, in superficie dumtaxat sacralinitur unctione; contra vero in Altari fixo nec transferendo, alia adhibetur Sacra unctio, qua lapis in angulis conjungitur, et connectitur cum inferiori stipite seu structura; atque hoc pacto non unus lapis, sed integrum Altare consecratum censetur. Ideo execratur Ara portatilis, si vel enormiter fracta fuerit, aut violatum Reliquiarum sepulcrum: execratur vero Altare fixum etiamsi sine violatione sepulcri vel solus lapis a stipite amoveatur. Ita *Alexander III. Cap.: Ad haec, de Consecratione Ecclesiae vel Altaris.* „Ad haec si Altare motum fuerit, aut Lapis ille solummodo suppositus qui sigillum continet, contractus, aut enormiter diminutus extiterit, debet denuo consecrari. Et in Cap. Quod

eod. titulo: Altare vero, in quo tabula, cui consecrationis Benedictio Pontificali ministerio adhibetur, semota fuerit, vel enormiter fracta, debet non immerito consecrari. Et quamquam non desint, qui putant Altare fixum consecrationem amittere, etiamsi Altare integrum de loco, in quo extractum fuit, sacrisque caeremoniis delibutum, alio transferatur; communis tamen sententia est, quod hoc in casu necessaria non sit nova consecratio. Ratio est, quia licet Altare fixum in hoc differe videatur ab Altari portatili quod hoc sit transferibile de uno loco ad alium, ipsum vero non ita, proindeque fixum dicatur et immobile, tamen haec differentia est more extrinseca, accidentalis et respectiva ad ipsum locum potius, quam inter ipsa Altaria; nam ratio formalis, per quam Altare fixum intrinsece differt a portatili, proprie in eo consistit, quod Altare fixum habet ac essentialiter importat conjunctionem Tabulae cum sua structura inferiori, seu basi, cui Tabula proinde necessario debet esse unita: ubi est contra Altare portatile de sua natura importat esse a basi sejunctum; propter hoc enim portatile est, quia de se habet sejunctionem a basi; alias non esset amplius Altare portatile sed fixum. Hinc essentia Altaris fixi vere ac proprie consistit in dicta conjunctione, hoc est in mensa seu tabula unita cum basi fixationeque in tali loco, ideo importat, quia ibi ipsum voluit qui illud construere fecit: quod proinde ipsimet Altari est quid extrinsecum et accidentale. Poterat enim alibi illud idem construi. Quare cum Altare supponatur eandem conjunctionem servare, Tabulae scilicet cum sua basi, non obstante ipsius translatione de uno in alium locum; dicendum est, quod adhuc retinet suum esse, ac per consequens, suam consecrationem, quae eidem acces-

serat: accessorium namque cum fundetur super principali, naturam sequi congruit principalis: ex Reg. 42 de Reg. juris in 6. Propterea, ut verificetur illud mota, non est necesse, quod Tabula fuerit translata de uno in alium locum, sed sufficit, quod fuerit a sua basi disjuncta; et sic per hoc Altare nova indigeat consecratione. Hinc Glossa cum ad Canon. Si motum, tum ad Caput Ad Haec I. S. Altare; Parnomitanus ibid. alique per Altare intelligunt ipsam Altaris Tabulam, quae connexa est cum sua structura inferiori; per motum vero intelligunt advententem disjunctionem ejusdem Tabulae, vel etiam Lapidis consecrati ab ipsa inferiori structura; adeo ut sensus illius Textus: Si Altare motum fuerit etc. sit iste: Si ipsa Tabula, aut Lapis consecratus Altaris disjunctus, seu disjuncta fuerit a sua inferiori structura: Altare debet denuo consecrari. Quod si Tabula, quam mensam dicimus, lapideo stabilique Altari superposita, licet tantae dimensionis sit, ut subjectam structuram superet, vel saltem aequet, numquam tamen conjuncta et unita fuisset cum inferiori stipite, et per Sacram unctionem quodammodo in angulis colligata, per amotionem et translationem de loco ad locum haud amitteret Consecrationem, quia hoc in casu non aliam rationem haberet, nisi Altaris portatilis, quod execratur dumtaxat, vel per enormem fracturam, vel per violationem sepulcri Reliquiarum. Quoniam igitur in proposita facti specie res sit de Altari fixo, et stabili, ac superpositus Lapis Arae maximae amotus fuerit ab inferiori stipite, cui per Sacram unctionem conjunctus fuerat, plane consequitur per hujusmodi amotionem execratum Altare fuisse, novaque indigere Consecratione, quemadmodum S. R. C. declaravit.